



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Abortus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653



BREVIS EXPOSITIO
PROPOSITIONUM

Ab Alexand. VII. Innoc. XI.
ac Alex. VIII.

Respective damnatarum.

A B O R T U S.



UÆRITUR. An liceat
procurare abortum ante
animationem fœtus, ne
puella deprehensa gravi-
da occidatur, aut infa-
metur?

Resp. Negativè, ratio
est, quia tam dicitur homicidii reus qui
prucurat abortum fœtus animati, quam
qui inanimati, non quia in hoc secundo
casu vitam homini adimat, sed quia pro-
ximè, & immediatè vitam hominis im-
pedit; homicidium autem ob nullum me-
tum cohonestari potest, quamvis enim pos-
sit quis cum moderamine inculpatae tute-
læ in vasorem occidere, non potest tamen
homicidium committere, ne ipse ab alio
occidatur; ergo non potest, procurari a-
bortus, etiam ante animationem fœtus
ob vitam Matris, vel honorem tuendum;
quod manifestè patet ex *propositione 34. in-
ter damnatas ab Innoc. XI.*

A

2. Que-

2 Quæritur. An sit probabile, esse licitam fœtus inanimati expulsionem propter sanitatem tuendam?

Resp. Plures DD. Docent; licitum esse procurare directè expulsionem fœtus inanimi, quando ipse fœtus affert Matri periculum mortis ex puerperio, ita ut Mater periclitetur de vita, nisi expellatur fœtus; sicut autem cum moderamine inculpatae tutelæ licitum est in vasorem injustum occidere (imò etiam innocentem in vasorem, puta furiosum, aut amentem) si aliter mors declinari non possit, ita cum eodem moderamine licitum est fœtum inanimatum expellere, tanquam Matris in vasorem: oppositum tamen est probabilius; fœtum verò animatum nullo modo licet expellere.

3 Quæritur. An Monialis licitè possit procurare expulsionem fœtus inanimati ad vitandam infamiam suæ communitatis?

Resp. Negativè; ratio est, quia ad vitandam infamiam coram sæcularibus sunt alia media, scilicet præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ, & sub censuris observationem secreti: similiter neque ad vitandam infamiam familiæ nobilis id licitum est; cum enim sit intrinsecè malum, non secus, ac aliquem occidere non in vasorem, aut pollutionem procurare sequitur, quod nulla omnino ex causa cohonestari possit.

4 Quæritur. An liceat procurare abortum fœtus inanimi pharmaco aliquo indirecto ad vitandam infamiam vel mortem prægnantis?

Resp. Negativè, ratio est; quia sive expellatur fœtus pharmaco directè intendente ejus expulsiõnem, sive pharmaco intendente

dente

dente directè salutem prægnantis, & indi-
rectè expulsionem fœtus, semper est intrin-
secè malum, quando non periclitatur alio-
qui vita prægnantis; hinc sicut poni nequit
causa per accidens pollutionis ex intentio-
ne, quod ea sequatur, ita poni nequit causa
per accidens abortus ex intentione, quod
sequatur, quando non se habet fœtus, ut
invasor vitæ Matris.

5 Quæritur. An liceat aliquando homi-
nis conceptionem impedire?

Resp. Non licere quacumque ex causa
impedire hominis Conceptionem, quod si
Mulier prudenter timeat sibi mortem im-
minere ex partu, tunc non tenetur redde-
re debitum conjugii, non potest tamen
eo animo debitum reddere, ut postea
conceptionem impediatur.

6 Quæritur. An fœmina omnino invi-
ta, & inculpabiliter facta prægnans licitè
possit ad vitandam infamiam, vel mortem
expellere fœtum inanimatum?

Resp. Nullatenus posse, quia id est
intrinsecè malum, poterit ad summum
continuo semen expellere, tanquam in-
justum agresorem castitatis, ad mor-
tem, vel infamiam vitandam, at postea
expelli non poterit, sicut nec fœtus, ad
eum modum, quo potest continuo inju-
stus invasor occidi cum moderamine in-
culpatae tutelæ, sed post injustam inva-
sionem non licet, quia hæc non esset de-
fensio, sed ultio.

7 Quæritur. An prægnans procurans
abortum incidat in excommunicationem
latam per Sixtum V. contra procurantes
abortum?

Resp. Communissimè DD. id affirmant,
A 2 quia

quia Bulla loquitur de omnibus, qui quomodocumque ope, consilio, vel alia ratione, sive per se, sive per alios ad abortum concurrerint: Notandum tamen Gregorium XIV. voluisse hanc excommunicationem incurri solum propter abortum foetus animati, effectu secuto; ita tamen, ut à Confessario approbato ad id specialiter deputato ab Ordinario; Romæ verò à quolibet Confessario privilegiato ibi approbato possit absolvi.

8. Quod autem attinet ad irregularitatem, quæ ex procuratione abortus foetus animati effectu secuto incurritur, dicendum quod in dubio fuerit necnè animatus, ea incurritur, ut docent comm. DD. contra nonnullos, sicut etiam in dubio, num medium certò adhibitum fuerit causa abortus, an verò aliundè abortus evenerit; ratio est, quia etiam in dubio homicidii incurritur irregularitas; cum autem DD. comm. docent, & marem die 40. animari, & foeminam die 80. non est censendus irregularis, qui ante hos dies abortum procuraverit; si tamen procurato abortu post quadragesimam diem dubitetur, num foetus sit masculus, an foemina, præsumendum esse masculum, & irregularitatem incurri, prout servat sacra Pœnitentiaria, ac propterea ex procuratione talis abortus, effectu secuto, incurritur etiam privatio Beneficii, ac Dignitatis, & inhabilitas ad ea obtinenda circa dispensationem Sedis Apostolicæ.

9. Quæritur. An sit probabile, foetus non animari anima rationali antequam in lucem edatur?

Resp. Esse omninò improbabile, ratio est,

est, quia arbitrarie dicitur infundi anima rationalis in fœtu, dum editur, nam vel requiri debet quod fœtus sit dispositus ad operationes discursivas ad hoc, ut possit informari anima rationali, & sic circa septennium ætatis infunderetur, vel id non requiritur, & negari debet in fœtu successio animarum, & proinde semper, ac ille vegetatur, ac movetur, informatur anima rationali; experientia autem prægnantium constat fœtus in utero antequam edantur, moveri; ergo antequam edantur habent animam rationalem; propterea Rituale Romanum præcepit, *ut si fœtus abortivè editus moveatur, absolutè & sine conditione baptizetur*, quia supponit, motum illum unicè esse ab anima rationali; id etiam constat ex scripturis; & manifestè ex *propositione 35. inter proscriptas ab Innoc. XI.*

10. Ex dictis sequitur, procurantem abortum nunquam ab homicidio excusari, quoties est solum probabile, quod fœtus non sit animatus; excusatur tamen, si id sit moraliter certum, seu probabilissimum sicut universim licitum est sequi opinionem probabilissimam, seu moraliter certam ex *propositione 3. damnata ab Alex. VIII.* Quare cum moraliter certum existimetur nullum fœtum animari ante diem quadragesimum, hinc non dicitur homicidii reus, nec irregularitatem incurrit, qui ante hunc diem abortum procuraverit, quod si post diem quadragesimum, sed ante octogesimum (quando censetur animari fœtus femineus, procuretur abortus, peccatum homicidii non declinatur, quia cum ignoretur, num fœtus sit mas, an femina, pro-

curans abortum exponit se periculo expellendi foetum masculinum, atque adeo committendi homicidium; verumtamen est, quod si deinde foetus deprehendatur esse femineus, irregularitas non incurratur, quia hæc pœna non incurritur ob peccatum homicidii, nisi homicidio jam secuto; in dubio autem, num foetus ille fuerit mas, an foemina, irregularitas incurritur.

A B S O L U T I O .

11 **Q**Uæritur. Quænam ex verbis absolutionis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, pertineat ad essentiam formæ, & sint necessaria ad valorem sacramenti?

Resp. Quamvis DD. inter se pugnent, & alii scripserint, hæc verba: *à peccatis tuis* esse solum de necessitate præcepti, & ad essentiam formæ non spectare, ac sufficere doceant ista: *absolvo te*: tamen negari non potest major probabilitas sententiæ dicentis, verba illa. *à peccatis tuis*: spectare quoque ad essentiam formæ, nam ea est plurium opinio, & colligi videtur ex Trident. sess. 14. cap. 3. Maximè, quia illa verba: *absolvo te*: sunt indifferentia ad absolutionem à peccatis, & censuris: ergo ut significant determinatè absolutionem à peccatis, debent determinari per hæc: *à peccatis tuis*: cum itaque tutior sit ista sententia, proculdubio qui ea omittit, exponit Sacramentum periculo nullitatis, quia dum agitur de Sacramentorum valore, semper sunt tutiora sequenda juxta decretum Innoc. XII. *damnantis prop. 1.*

12. Quæritur. An absolutio à peccatis
pos-